

Breviary: Transcript

p1

Requiem 1 Nequando rapiat ut leo animam meam dum non est qui redimat neque qui salvum faciat. [Psalm 7]

A porta inferi. II. Erue Domine animas eorum. pater noster

Parce mihi Domine , nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? autquid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo , et subito probas illum. Usquequo non parcis mihi , nec dimittis me , ut glutiam salivam meam ? Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?

p2.

Cur non tollis peccatum meum, et quare non auferis iniquitatem meam ? ecce , nunc in pulvere dormiam : et si mane me quæsieris, non subsistam.

Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum : » Tu eis Domine dona requiem , et locum indulgentiae. Qui venturus es judicare vivos et mortuos , et sæculum per ignem. Tu eis. LECTIO SECUNDA. [Job, 7]

Tedet animam meam vitæ meae, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meae. Dicam Deo : Noli me condemnare : indica mihi cur me ita

p3.

judices. Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves? Numquid oculi carnei tibi sunt, ant sicut videt homo, et tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui , et anni tui sicut humana sunt tempora, ut queras iniquitatem meam et peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim , cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. R . Credo quod Redemptor meus vivit : et in novissimo die de terra surrecturus sum:

p4.

Et in carne mea videbo Deum salvatorem meum. V: Quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt. Et in carne. LECTIO TERTIA [Job, 10]

Manus tuæ Domine fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu: et sic repente præcipitas me? Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle, et carnibus vestisti me: ossibus, et nervis compegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tuo custodivit spiritum meum.